

DEDICATORIA.

linguam predicaretur & innotesceret. Quocirca anno Christi XXXIV. in festo Pentecostes Judæis ex omnibus nationibus Hierosolymis cōgregatis, ac diversis linguis utentibus, Spiritus Sanctus in Apostolos cælitus mittitur, & *cæperunt loqui aliis linguis, prout Spiritus ille dabat eis effari*, ut est Actor. 2. vers. 4, ita ut singulæ nationes eos suâ linguâ loquentes, maximo cum stupore audirent & intelligerent. Locuti etiam sunt postea omnium istarum gentium linguis, ad quas egressi sunt, ut Christum prædicarent.

Post Apostolos Verbum DEI scriptum, Veteris quidem Testamenti, Septuaginta interpretum Versione Græcâ, Novi autem ab Evangelistis & Apostolis itidem Græcâ linguâ comprehensum, in Ecclesiis populi DEI permanet, cujus puritas beneficio linguæ Hebraicæ conservata fuit.

Circa annum Christi CXXIX. sub Imperatore Aelio Hadriano, *Aquila Ponticus* ex gentili Christianus, ex Christiano Judæus factus, Judæorum linguam, id est, Hebraicam discit, ac de novo Vetus Testamentum ex Hebræo in linguam Græcam transfert. De hoc Hieron. in Epist. ad Pammachium: *Aquila profelytus & contentiosus interpret, non solum verba, sed etymologias verborum*

);(4